Portugallieñ.

Eñe, & Rñe Dñe. REu. Adm. P.Præſentatus Fr. Antonius de Tauora Modernus Prior Prouincialis Portugalliæ Sacri Ordinis Auguſtiniani, noſter Principalis, propriorũ Iurium, prout decet, vindex, expoſuit aliàs huic Sacræ Congregationi, quod iuxtà Conſtitutiones ſui Ordinis par.2.cap.1. §.2. hodiè datas *Summario num.*1. ſibi Oratori competat proponere recipiendos ad habitum Patribus Conſilij, & poſteà PP. Communitatis, ſeù Capituli, non autem PP. Diffinitoribus, ità vt ſi excluſi fuerint in Conſilio, non proponuntur in Communitate, ſi verò recipiuntur in Conſilio, & poſteà excluduntur in Communitate, remanent excluſi in perpetuum, quià tamen ordine inuerſo, contraria irrepſit ambitioſa conſuetudo in ſua Luſitaniæ Prouincia, quod nempè nonnullis ab hinc annis PP. Diffinitores ſe confouerint in violenta poſſeſſione, vt PP. Prouinciales pro tempore priùs ijſdem PP. Deffinitoribus proponere tenerentur recipiendos prædictos, ab ipſis quandoque reprobatos alios, & ſæpiùs approbatos alios, quo caſu ſubindè proponuntur Conſilio, à quo, ſi approbantur, proponuntur tandem Capitulo, ſeù Communitati, à cuius maiori parte acceptandi ſunt: Qua de cauſa noſter Principalis, ſuarum Conſtitutionum propugnator ſupplicauit Sacræ Congregationi pro earum obſeruantia, quæ ſub *die* 28.*Ianuarij* 1701.reſcripſit= Procuratori Generali pro informatione, & Voto *Summario nu.* 2.

Qui Reuerendiſs. P. Procurator Generalis, priùs auditis PP. Diffinitoribus noſtræ præfatæ Portugalliæ Prouinciæ ad ſui animi inſtructionem, & ad eorum iura in Sacra Congregatione deducenda, retulit poſt octo ferè menſes elapſos à reſcripto Sacræ Congregationis, ſibi relatum fuiſſe, eos in immemoriali poſſeſſione perſiſtere recipiendi vna cum P. Prouinciali Nouitios in illa Prouincia, aſſerens, ità tradi à ſenioribus, & octogenarijs PP. Religioſis, hancque poſſeſſionem ſuam trahere originem, & fomentum à quodam Decreto iu Archiuio Prouinciæ prædictæ, ſub tribus clauibus aſſeruato, quarum vna Prouinciali, reliquæque duæ primis Definitoribus tradebantur, noſtrum verò Principalem omnes claues ad ſe recepiſſe, & ſubripuiſſe à dicto Archiuio Breuia, ac Decreta omnia, regimen ſuæ Prouinciæ concernentia, indè Diffinitores inſtare pro conſeruatione in ſua dicta poſſeſſione, vt fuſiùs videre eſt in Relatione Reuerendiſſimi P. Procuratoris Generalis data *Summario num.* 3,

Vndè viſa per Sacram Congregationem dicta Relatione, mandauit *die* 23. *Septembris* 1701. eam communicari noſtro Principali, qui, iura ſua vindicare cupiens, inſtetit pro deputatione alicuius ex Eminentiſſimis PP. in Ponentem, & Sac. Congregatio *die* 10. *Februarij*

bruarij

bruarij proximè præteriti 1702. reſcripſit = *Reperiantur ſcriptura Summario num.* 4. Quibus repertis, eaſdem preces reiterauit, & tunc S. Congreg. deſtinauit in Ponentem Eminentiſs. Gabriellium *Summario num.* 5.

Hodiè igitur, non obſtante ſiniſtra dicti Reuerendiſſimi P. Procuratoris Generalis Ordinis Relatione, exoramus Eminentiſſimos PP. reſcribi = *ſeruentur Conſtitutiones*, ex quo Prouincialis noſter Principalis, vti habens intentionem fundatam pro ſe, & aſſiſtentiã Iuris, vtens Iure ſuo, vigore Ordinis Statutorum non tenetur recipiendos proponere Deffinitorio, & omninò eradicandus venit vſus præfatus in contrarium, inallegabilis etiam in poſſeſſorio, licèt immemorialis eſſet, ob reſiſtentiam noſtri Iuris municipalis, *Poſth. de manut. obſeru.* 44. *num.* 14., & 18., & *obſeru.* 93. *num.* 8. *Franc. de intruſ. quæſt.* 71. *num.* 27. *Add. ad Ludouiſ. deciſ.* 312. *num.* 4. *Rot. coram Alexand. VIII. deciſ.* 4. *nu.* 37. *cum ſeqq.* noſtræ enim Conſtitutiones, vti confirmatæ à Papa, cum Decreto irritanti, tollunt quamcumque contrariam obſeruantiam, vel impediunt, quod ea oriri poſſit, *Valaſc. conſult.* 70. *nu.* 10. *Grat. diſc.* 870. *nu.* 15. *Cappon. diſc.* 49. *num.* 13.

Noſtroquè intentui fauet Prologus noſtrarum Ordinis Legum §. 3. *Summario num.* 6. vbi quæcumque contrà eas conſuetudo etiam vetuſtiſſima, prædicatur abuſus, ac corruptela, & ſic per ſe, tamquàm vitioſæ, ac infectæ radicis ſatis infecta remanet; Adeò vt malum Ius Diffinitorum creſcit ex earundem Prologo §. 2. *Summario num.* 7. prohibentium quamlibet alterationem, additionem, & diminutionem noſtrarum Conſtitutionum. Attamen hoc pacto per vnam viam adderetur Conſtitutionibus, & per aliam minueretur, quià cùm *part.* 2. *cap.* 1. §. 2. *Summario dicto num.* 1. noſtræ Conſtitutiones nullum faciant verbum de Deffinitoribus, ad ſenſum eorum hoc modo præter earum diſpoſitionem, etiam Diffinitoribus proponendi eſſent Nouitij, ac etiã in alio ſenſu diminueretur Cõſtitutionibus, quià cum dicto loco mandent, Nouitios recipi primò de conſenſu *PP.* Conſiliariorum, & è contrà Diffinitores prætendant, ſibi eſſe priùs proponendos, ac in eorum plena libertate remanere eos acceptare, vel non, eos approbare, vel reprobare prout nuper quidam Nouitius, licèt ab examinatoribus per anteà approbatus, conſtitoquè de puritate ſanguinis, ſolo liuore, & paſſione reprobatus fuit, ità vt Nouitij iàm reprobati à Deffinitoribus, non poſſent ampliùs proponi dictis *PP.* Conſiliarijs, & ſic noſtræ Conſtitutiones eluſoriæ remanerent, quod non eſt ferendum, *Maſcard. de gener. Statut. interp. conc.* 2. *nu.* 42. Omiſſo, quod per hanc viam coarctaretur Prouincialis auctoritas, qui abſquè Conſilij, & Communitatis ſuffragijs per ſe recipere nequiens, dependeret etiam à Diffinitorio.

Nequè pro manutentione in poſſeſſione iuuari valet Diffinitorium, ex eo,

eo, quod Constitutio derogans contrarię cõsuetudini, intelligenda sit in casibus expressis tantũ, nõ autẽ in omissis, quasi quod mandás, recipiendos proponi primò PP. Consiliarijs, & indè Capitularibus, non hinc tamen sequitur, quòd prohibeat eorundem propositionẽ Deffinitorio, quod namquè præter disposita ad maiorem perfectionem fit, non contrauenit dispositis, sed cum huiusmodi inductio sit contrà mentem Constitutionis, in diminutionem auctoritatis, inquè restrictionem Iurisdictionis Superioris, eliminanda est, & lex accipienda prout cantat, sterilis tamquàm mula *Mascard. de gener. statutor. interp. conc.* 4. *num.* 5., *&* 6. Si etenim Constitutio intenderet, Recipiendos, proponendos forè Deffinitorio, vel profectò in *par.* 2. *cap.* 1. §. 2. *Summario d. num.* 1. sicuti disposuit, eos esse proponendos primò Consilio, deindè Capitulo, etiam exprimeret proponendos esse Deffinitorio, vel in 3. *par. cap.* 14. §. 5. *cum seqq. Summario num.* 8. vbi de auctoritate, & iurisdictione Diffinitorũ in certis casibus agit, ibidem mentionem faceret de Nouitijs proponendis, præcipuè quià in §. 4. *cap.* 1. *par.* 2. sicuti disponitur, quod Prouincialis vnà cum Diffinitoribus possit eijcere Nouitium, aut professum defectuosum, ità etiam disponeretur, quod Prouincialis vnà cum Diffinitoribus reciperet, & in nulla Regni Portugalliæ Religione Prouinciales proponũt Diffinitoribus Nouitios.

Aliàs namquè intolerabile sequeretur absurdum, quod plus posset Prior, quàm Prouincialis, dum Prouincialis teneretur proponere Diffinitoribus Nouitios, quibus tamen Prior non tenetur, nisi Cõsilio, & Communitati iuxtà Ordinis Constitutiones *par.* 2. *cap.* 2. §. 2. *Summario num.* 9. quod argumentum ab Inferiori ad Superiorẽ in iure est validissimum.

Cumquè asserta Diffinitorum possessio nullo Iuris fomento muniatur, Reuerendissimus P. Procurator Generalis ad illam colorandam, in sua Relatione *Summario dic. num.* 3. *litt. A.* conatur innuere huic Sacræ Congregationi grauissimum delictum nostri Principalis, eiquè maximam notam inurere, asserendo (de quo miramur, quod id credat) nostrum nempè Principalem subtraxisse omnia Breuia, ac Decreta ab Archiuio suæ Prouinciæ, inter quæ ad fuisse vnum asserit, per quod constat de Iure Deffinitorum, quando delictum nunquam præsumitur, potissimùm hoc tàm atrox, in viro Religioso, ac Superiore, *Menoch. de præs. lib.* 5. *præs.* 2. *num.* 1., *&* 19. Nàm si P. Procurator Generalis supponit, vnam clauem retineri per Prouincialem, & alias duas per primos Diffinitores, quomodò potuit eas omnes ad se attrahere, quando Diffinitores, tamquàm interessati, illas benè custodire satagerent. Præter quam quod possibilitas subtractionis scripturarũ ad oculum excluditur ex nostris Constitutionibus *par.* 3. *cap.* 22. §. 2. *Summario num.* 10. dum ex ipsis habemus, quod retentio dictarum clauium competat Priori, & Depositarijs.

 Quomo-

Quomodocumque autem res se habeat, si somniatum Decretum extitisset, saltem registratum semper in nostro Archiuio appareret, quod tamen non apparet, vt ex fide Secretarij Prouinciæ *Summario num.*11. cui tamquàm publico Officiali deputato, attestanti de re ad officium suum spectante deferendum est, ac benè probatur negatiua, quando affirmatiua de necessitate ex Archiuij libris probanda esset, quià ibidem solent omnia registrari, *cap. proposuisti* 4. *de prob. cap. Fraternitatis* 6. *de frig.*, *& mal. l. septimo mense ff. de stat. hom. l.*1. *in princip. ff. de vent. inspect. l. iustum* 6. *C. de edend.*, *Mascard. de probation. conclus.* 1137. *num.*1. *cum seqq.*, *& conclus.* 1260. *num.*5. *Pacian. eod. tractat. lib.*1. *cap.*44. *num.* 14. *Bellon. de bis, quæ in contin. fiu. lib.* 1. *cap.* 130. *num.* 3. *Trentac. var. lib.*2. *resol.*2. *num.* 1. 2. 4. *cum seqq. Marant. cont.* 67. *num.* 17. *part.*3. *contr.*76. *nu.*22. *part.*4. ac in terminis Archiuistæ nostræ Religionis *controu.*78. *num.*62. *part.*5. *Cyriac. contr.*65. *num.* 4. *controu.* 451. *num.*41. *cum seqq. Herculan. de probat. neg. num.* 167. *Rot. coram Seraphin. decis.* 431. *num.*6. *decis.* 442. *num.* 1. *decis.*1088. *num.*4. *Mantic. decis.*16. *num.*2. *decis.*32. *num.*6., *& decis.*287. *num.*1., *ac recent. decis.*388. *num.*5. *par.* 19.

Fortiusquè remanet comprobata nostra negatiua ex authenticis documentis Ex=Prouincialium nostræ Prouinciæ datis *Summario nu.* 12. idem attestantibus, quibus, vti benè informatis super hac materia, ac vti iam non interessatis, quià Prouincialatu functi sunt, fides præstanda est. Et sanè miramur, quod P. Procurator Generalis in sua relatione supponat, sibi traditum à senioribus, & octogenarijs *PP.* Religiosis Prouinciæ, Ius *PP.* Diffinitorum constare ex asserto Decreto, quando è contrà *PP.* Antiquiores ex Decanis Prouinciæ testantur, illud nunquam extitisse *Summario num.* 13., & ex alia fide Secretarij Prouinciæ data *Summario num.* 14. constat, quod soli octogenarij, sunt in dicta attestatione subscripti; ità vt contrarium asserenti incumbat onus probandi affirmatiuam, quę si adesset, facilè Reuerendissimus *P. P*rocurator Generalis Ordinis illam probare posset ex libris Secretariæ Breuium, aut huius Sac. Congreg. aut ex registris Reuerendissimi *P. P*rioris Generalis, casu, quo esset aliqua ordinatio à Generali edita, aliàs enim quodcumquè Decretum, aut Breue, quod non reperitur registratũ, dicitur falsum.

Minusquè oriri possunt magnificata à Reuerendissimo Relatore absurda *Summario dict. num.*3. *litt. B.* supponendo, quod aliàs, si solus Prouincialis acceptaret Nouitios absquè Diffinitoribus, facilè impleretur Prouincia nostra ignaris, ac inutilibus, quià omisso, quod Prælatus, vti electus vnanimi consensu Prouinciæ, præsumitur omni integritate decoratus, qui nolit suum ordinem improbis infestare, *Menoch. præs.*1. *nu.*29., *&* 33. *præs.*4. *num.* 10., *& præs.* 10. *num.*9. *lib.*5.) Prouincialis noster Principalis non ipse acceptat

Noui-

Nouitios, sed eos tantùm proponit acceptandos à Consilio, & Cõmunitate ad formam Constit. *Summario dict. num.* 1. proponere enim non est recipere, sed recipiendos nominare, quando tamen de Iure ad Superiorem spectat receptio, *Bordon. de Profess. Regular. num. 93. fol. mihi* 321. *tom.* 5. *Pellizzar. man. Regul. tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 20., *&* 24. *Lezzan. quæst. regul. tom.* 2. *cap.* 24. *num.* 13. *cum seqq.*, & sic cum semper remaneat in libertate *PP.* Consilij, & Capituli, seù Communitatis, hos, vel illos acceptare, dici non potest esse in potestate Prouincialis hos, vel illos acceptare, nec per hanc viam discolis, & inscijs potest Religio dehonestari, quando illi proponendi sunt in duobus locis, & vbique approbandi, ac hodierna controuersia restringitur in eo, an vigore assertæ consuetudinis teneatur Prouincialis proponere recipiendos Diffinitorio, sicuti tenetur vigore Constitutionis proponere Consilio, & Communitati.

Possessio quidem Diffinitorum restringitur ad solam propositionem Inquisitionum super vita, moribus, & genere Nouitiorum, à Prouincialibus aliquandò factam ipsis Diffinitoribus, non ex obligatione, sed ex quadam conuenientia, ac mera vrbanitate, an rectè confectæ essent, nec nè, quià vnus ex Diffinitoribus est Inquisitor, vt patet ex *Summario d. num.* 12. *litt. A.*, & sic ab Inquisitione non benè fit illatio ad receptionem, seù approbationem Nouitiorum quid diuersum, *l. Papinianus ff. de min.*, & factum Prædecessorum ab simplicem humanitatẽ nõ obest Successoribus, nec eos obligat, *Grat. disc.* 298. *num.* 99. *vers. si ergò*, *Rot. cor. Millin. decis.* 401. *nu.* 4. *Merlin. decis.* 101. *num.* 4., *&* *dec.* 99. *num.* 7. *part.* 14. *rec.* quando etiam quicumque Superior localis per se potest inquisitiones huiusmodi delegare ex *Constit. Ordinis par.* 2. *cap.* 2. *in princ. Summ. nu.* 15., & tamquàm dependentes in totum à nudo Prouincialium nutu, & arbitrio, suo fauori sibi inducto ad libitum renunciare valentium, tamquàm actus facultatiui, non sunt accipiendi in forma coactiua, *Crauett. de antiq. temp. par.* 4. *nu.* 214., *&* 255. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæst.* 2. *nu.* 50. *Rot. post Posth. de manut. dec.* 541. *num.* 9. *cum seqq. ac in rec. decis.* 354. *nu.* 19. *par.* 19.

His accedit, quod Diffinitoribus nulla fit iniuria in non proponendo illis Nouitios, quia in hoc vtitur Iure suo Prouincialis, & ipsi Diffinitores semper habent vocem tàm in Consilio, quàm in Communitate, vbi vtrobiquè proponuntur recipiendi, quippè Diffinitores, qui vt plurimum commorantur in Conuentu, vbi proponuntur, qui est Prouinciæ caput, vbi solùm adest Domus probationis, sua ferunt suffragia pro Nouitiorum receptione tàm in Consilio, quàm in Communitate.

Quod autem spectat ad quærimoniam per eosdem *PP.* Diffinitores propositam Reuerendissimo *P.* Procuratori Generali, perque ipsum expressa in sua Relatione *Summario dict. num.* 3. *litt. C.*, quod

nempè

nempè *P*. *P*rouincialis noster *P*rincipalis, non obstante asserta *PP*. Diffinitorum immemoriali, receperit *N*ouitios, quò minùs eos proponeret *PP*. *D*iffinitoribus, id non subsistit, quia contrarium constat ex alia fide Secretarij *P*rouinciæ *Summario num*. 16. ex qua apparet, quod toto sui *P*rouincialatus tempore sex tantùm receptos, Deffinirorio fuisse propositos, aliàs tenerentur *PP*. *D*iffinitores assignare *P*. *P*rocuratori Generali, quos *N*ouitios absq; eorum interuentu receperit noster *P*rincipalis. *P*rætereà non sunt audiendi *PP*. Diffinitores postulantes à S. Congreg. manutentionem in sua possessione, vt refert *P*. *P*rocurator Generalis *Summario d. nu.* 3. *lit. D.*, quia illa non est manutenibilis, vti tendens de directo contrà nostras Sacras Leges, & contra iurisdictionem proprij *Prælati*, *Posth. de manut. obs*. 44. *nu*. 18., & 21.

Quarè &c.

Joannes Lopez Aduoc.

ac: Congreg. Episcoporum & Regularium

Eĩo, & Rmo D. Card.

GABRIELLIO

PONENTE

Portugallien.

PRO

R. Admodum Moderno P. Priore Prouiciali Portugalliȩ Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini Præsentato Fr. Antonio de Tauora.

CONTRA

Reuerendiss. P. Procuratorem Generalẽ Ordinis, & RR. PP. Diffinitores Prouinciȩ Portugalliȩ.

Memoriale Iuris Responsiuum ad Relationem Reuerendiss. P. Procuratoris Generalis Ordinis.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 1702.
Superiorum permissu.